

dum perfecto, de eo perficiendo Arrham dedisset, dominus vero, antequam perficeretur contractus, denunciaret, ne emeret; procurator quidem à contractu abstinere debet, sed Arrham, quam perdit, actione mandati contraria omnino repetere potest. *arg. l. 15. ff. Mandat.* Ipse vero si sua culpa contractum promissum non perficeret, Arrham, quam dedit, & perdit, à domino suo repetere nequit. *arg. l. un. §. 2. ff. si quis jus dicent. non obtemperav. l. 46. §. 5. de Procur.* Contra si procurator Arrham accepit, & propter adversarii culpam lucratus est, illam mandanti omnino restituere tenetur; licet ipse postea ab alio verum rei pretium consecutus sit, & de Arrha in mandato dictum fuerit nihil. Quia bonæ fidei hoc congruit, ne de alieno lucrum sentiat. *l. 10. §. 3. & §. 8. l. 20. pr. ff. Mandat.*

## XLV.

Prædicta sententia, quod scilicet etiam procurator ad vendendum constitutus possit Arrham accipere, limitatur, si ipse præsentem pecuniam vendere teneatur, nec fidem habere possit de pretio, tunc enim si perfecto contractu Arrham acciperet, fines mandati excederet, *arg. d. l. 5. §. 15. ff. de Instit. act. Bertazol. tr. de Claus. 31. gl. 7. n. 3. in fin.* An autem, & quando procurator ad vendendum constitutus fidem de pretio habere possit, illud late explicat Bartol. *ad l. 15. §. 7. ff. de Re jud. num. 2. & seqq. Zas. ad d. l. §. 7. n. 7. & seqq. Francisc. de Cald. de Empt. & vend. cap. 15. num. 18.* Præterea etiam illi, qui non ipsi contrahunt, sed se curaturos, ut alicujus rei emptio & venditio, aut sponsalia contrahantur, Arrhas dare & accipere possunt.

## CAPUT V.

De

## Arrharum Subjecto.

## XLVI.

Arrha ut dari possit, requiritur negotium, cui tanquam Subjecto accedat. *Sichard. ad l. contractus, §. illud. num. 1. C. de fid. instrum.*